



DE OFFICIO PRINCIPIS,

Orationes tres:

Publicè habitæ, ab Illustriss. ac Generosiss.
Principibus Anhaltinis,

D. IOHANNES CASIMIRO,
D. CHRISTIANO, &
D. FRIDERICO MAURICIO, patruelibus, &c.

In Academia Genevensi



L I P S I Æ.

MagnVs est DEVs, Creator noster.



DE OFFICIO

PRINCIPIS

Publice habetur, ad Illustriss. ac Generosiss.
Principibus Augustiss.

D. JOHANNES CASIMIRUS

D. CHRISTIANUS

D. FREDERICUS MAURITZ

BIBLIOTHECA
POMERANICA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(1785)

L I P S I E

Markt's off. Dr. v. C. v. C. v. C.





DE OFFICIO

PRINCIPIS,

Oratio Prima.



Uo d antiquioribus se-
culis filij Principum, &
ætate crudâ adhuc &
novellâ ausi nonnun-
quam, quodque ipsis
laudi potius quàm ob-
trectationi fuit, id lu-
bentibus animis aggredimur, Auditores, &
natalibus magnæ domus dignum vulga-
mus exemplum. Nam & Augustus, nisi si
fides nulla Tranquillo, duodecimum vitæ
annum haud supergressus, publicè oratio-
nem pronunciavit, & Tiberius, cùm an-
num nonum ageret, fecit verba pro rostris:

A 2

Cajus

Cajus item, Claudius, alij, in ætatula non
 absimili, præsentē & allaudente ipso Au-
 gusto declamavere. Taceo inferioris notæ
 pueros aut adolefcentes, tametsi nobili lo-
 co ortos, quibus moris, aut memoriæ pa-
 rentum, celebrandæ, aut potentiorum ac-
 cusationibus obeundis officio fungi di-
 cendi, sicq; & ingenia sua pariter exercere,
 & specimen edere morum suorum. Mire-
 tur itaque nemo, obsecro, nemo culpet,
 quod in cœtu ornatissimorum & doctissi-
 morum virorum dicturus surgo pusio, atq;
 in mentem veniat illud dictum Fabio, *Fu-
 turum eloquentissimum, aliquando edidisse
 vagitum.* Illud metuo sollicitius, ne argu-
 menti genus quod selegimus, parum ex
 annorum captu esse videatur. Bella enim
 utiq; & lituos, & præcipites equitum pedi-
 tumq; conflictus, & cruentas urbium ex-
 pugnationes, & opima castra spolijs, &
 bellica omnis generis machinamenta

Differimus, balbo ore quidem, sed pectore firmo:
 & de-

& denique classicum illud adversum ho-
stes canimus,

Arma viri, ferte arma. —

At ignoscite etiam parte hac, Auditores:
Nuces spargimus & astragalos ante diem
Principes nos, & sapientiâ creperâ quadam
& præcoci, dum ex annis robur accedat,
animosa cuncta & sublimia dies noctesq;
meditamur, & quæ penitus non è vulgo.
Philosophia alacris & fortis hæc nostra est,
& militiæ nomen damus jam nunc, & bo-
nos strenuosq; spondemus esse futuros. Or-
dior igitur, & sermonis nostri summam
hanc statuo: Si pietatem unam excepero,
*Valere armis Principem & bellicâ fortitudine
oportere cum primis.*

Fallor, aut argumenta largiter suppetunt
& probationes huic sententiæ. Naturam
specto? & vim divinitus quandam insitam:
cujus autoritas & ἐνάργεια præcipuo apud
homines loco habita semper? Ecce indidit
DEUS Omnipotens magnæ parti Princi-

A 3

pum

rum μεγαλοψυχίαν illam insignem, bellis
 idoneam & necessariam suscipiendis, ge-
 rendis, administrandis, propensos ad mili-
 taria studia animos, & motus quosdam a-
 criores cunctis ferè Principibus ingeneravit:
 ut in tenellis eorum quoq; pectoribus ar-
 dor ille Mavortius, & excellentior eluceat
 vis naturæ. Inde equitatu, inde luctâ, cursu,
 agonisticis certaminibus mirè capiuntur:
 Inde armis assiduè gestandis tractandisque
 manus & animos exercere gestiunt ultrò;
 quasi vox ea naturæ sit & testatio, Officium
 magni Principis in fortitudine potissimùm
 militari & bellicis experimentis situm esse,
 ἔργον, ἔργον esse istud, πάρεργα & supervaca-
 nea reliqua omnia existimanda: benè ut
 scripserit in Politicis Aristoteles, *Principum
 ἔσ' nobilium virorum esse id proprium, bella ge-
 rere, quærere imperia, prohibere à se ac suis ser-
 vitutem.*

Porro genium fortitudinis, usum, præ-
 stantiam si inquirimus, eccui magis quàm
 Principi,

Principi, imò eccei si non Principi & Generoso ac Magnati viro illa conveniat, aut quem utiliùs splendidiùsve cohonestet? cùm fortitudo animi inter virtutes eas, quæ in actionibus animæ irascibilis versantur, primum locum obtineat, ut pars melior confitetur Philosophorum: circa mortem, quâ nihil terribilius, contemnendam occupetur, & ad tuendam patriæ gentiumq; salutem & hostiles impetus propulsandos vim & robur suum expromat: nisi si fortè adversùs Annibalem portis & mœnibus imminentem, aut Socraticorum argutiæ, aut Criticorum cortices & membranæ, aut Aristotelis Elenchi, aut Platonis Dialogismi aut ænigmata & centones Triboniani, aut Poëtarum focci cothurnive quicquam possint, ac non istis in discrimine publico Maronianum illud occini oporteat,

Non tali auxilio, nec defensoribus istis

Tempus eget. —

Credo equidem, Auditores, fortunæ prin-

principalis inde origo, quòd fortissimi quidam in aciem atq; pugnam primi prorumperent, aut copias regerent ductu suo, & ferè talibus legiones & exercitus diadema Imperatorium deferebant. Simul & Comitum nostrorum inde dignatio, quòd euntibus in bellum Imperatoribus adessent affidui, & satellitio suo ac virtute præcipuâ vitam lateraque eorum communirent. Svasit antiquitus, rerum utiliter & animosè bello gestarum ratio hæc ipsa, & inferri Herculem cælo & honoribus coli heroas penè divinis. Sanè cùm in gregario etiam milite ignavia & militaris officij neglectus crimini adnumeretur, & gravissimis pœnis jure subjaceat, quanto turpius Principem ipsum, penes quem est summa rerum, à quo pendet publica salus, qui vitalis omnium spiritus esse creditur, bello fortem, bello industrium non existere? & dejectos atq; exautoratos ob ignaviam & animi in bellicis periculis tenuitatem aut incuriam in plerisque

risq; orbis partibus Reges & Principes testantur historiæ.

Tùm si verum est, naturæq; consentaneum, ex his cuncta maximè conservari ex quibus oriuntur, Age, annon regna, principatus, *duaséias*, pleramq; originem & stabilimentum sumfisse constat per vim & arma? Vi igitur & armis eadem quoq; teneantur, & quod ait in Novella quadam constitutione Iustinianus, *eo fine potissimum tributa & capitaciones populi pendant, ut pecuniarum & stipendiorum abundè sit, ex quibus copie, & presidia, & exercitus alantur, & populi ab incursionibus tuti præstentur barbarorum.*

Iam si de necessitate dicendum, altè, altè clamat isthæc, Remp. sine armis haberi non posse. Expeditum foret huic rei monumenta conquirere, quibus Romana omnis & Græca scatet historia. Sed secula post secuta Caroli Magni, & fortia facta ejus magis attingo, quibus imperium penè

B

colla-

collapsum instauravit, & populos subinde rebellantes in ordinem redegit. Et Federici illius Ænobarbi, fortissimi item Imperatoris, cujus memini eò lubentior, quoniam audio civitati huic inclytissimæ suam ab illo fuisse assertam & confirmatam libertatem. Regnum Galliarum hodieq; florentissimum quâ stat magis virtute Principis sui Errici IIII. Herôis incomparabilis, quàm bellicâ istâ & militari, & illustrium successu præliorum? Absq; his foret, humana si respicimus, perditum pridem, conclamatum, comminutum Regnum olim potentissimum, & totius Europæ oculus erat. Verùm de necessitate bellicæ rei, quia non inde valida ad gloriam ducitur argumentatio, hætenus dictum.

Quid quòd DEO ipsi Opt. Max. cujus εἰκόνες & simulacra Principes existimantur, quemque imitari & subsequi maximè debent, non frequentior alia in libris αὐτοκρατορῶν tribuitur appellatio, quàm quæ à bellorum

rum

rum administratione desumpta est? siquidem passim DEUS Zebaoth, hoc est, exercituum nuncupatur: & aptari, erudiri, firmariq; ad arma manus suas & lacertos Θεοφιλέσατο ille Psaltes idemq; Rex fortissimus gloriatur. Quid quòd porrò fidelium ille Parens, & miles ipse fuit egregius, & viros strenuos, quoties visum expedire, ad militiam accinxit? Et sospitator ductorq; Israelitarum Iosua, cuius pietas καὶ πλὴν ἰσοφορία, & citos fluminum lapsus, & Solis Lunæq; curricula precibus votisq; compressit, ecquid fortitudine bellicâ non excelluit? Ecquid desides, aut bellicarum rerum incuriosi, Iosaphatus, Ezechias, Reges alij sanctissimi Iudicesq;, quos victoriis splendidissimis DEUS ipse dignatus est? Ut omittam Solomonis Regis sapientissimi auctoritatem, qui officium Principis descripturus, *Leoni sese ad pugnam comparanti, & ungues suos exerenti; & ducenti gregem arietis, & cani excubitori atque exterorum insectatori similem esse desiderat.*

Quare pervanum est, quod ex Poëtarum quorundam sententiolis & querelis objicitur, Pietatem, mores, leges & quicquid rectum justumq; est, perire inter arma & conticescere; viris castra sequentibus nihil infidius, nihil inhumanius, & generi humano exitialius dici posse. At animorum, non armorum esse id crimen, exempla & documenta prisca ævi, quæ protulimus, evincunt clarè. Atque haud dubiè, ut divitiis, ita vitiis propagandis magis apta pax & quies, quando in luxum & voluptatem, otio inertiaque degenerant mentes hominum, aut in turbas & factiones civilesque discordias distrahuntur, dum illa generis humani tonsura (ita bella Tertullianus appellat) longo nimis tempore subducitur. Tum è novi ipsius foederis libris Capernaitani militis repugnat exemplum, miro Christi exornatum elogio, tantam apud Israëlitas fidem & sanctimoniam negantis inventam sibi. Simul & Cornelij Centurionis Cæsariensis commilitonumq; & domesti-

mesticorum ejus innocentiam, & pios mo-
res, & in egenos beneficentiam, Apostolica
veritas disertè commendavit. Ac sanè mi-
litiã utiq; volumus non ex legem, non
anormem, aut rapinarum & prædarum sce-
lerumq; licentiã disinctam, qualem bar-
baris & impiis olim populis & Regibus
fuisse scimus: sed disciplinã & ratione flo-
rentem, & victorias suas ipsi DEO voven-
tem & trophæa. Neque meritò quisquam
Principum fortis & animosus indigitetur,
qui providentiã quadam singulari non
consuluerit huic rei. Et, obsecro, quosnam
justior & probabilior morum emendatio
& disciplina, & sacrarum rerum cura con-
stringat; quàm qui præsentissimis pericu-
lis capita sua indefinenter objectant, &
imaginem propinquæ mortis plurimam
intuentur? mortis, inquam, cogitatione
cujus affiduã homines à scelere deterreri, sa-
cra pariter & gentilis antiquitas adnotavit.

Amplius dico: etiam religio sacrosan-
cta armis indiget, neq; alio magis fine for-

B

3

tem

tem & bellicosum Principem esse volo. Quid non aufuri hostes Ecclesiæ, si non arma piorum Principum extimescant? Aut quid nostrâ Patrumq; memoriâ non parasset in Germaniam nostram gens Turcorum, nisi principes ductoresque fortissimi colluviem immanissimam à cervicibus nostris depulissent? Quid non bellua septicollis adversus Venetos fuit aggressura nuperis annis, nisi si strictum ferrum & paratos minantesque exercitus conspexisset? O insipidum καὶ ἐτερόδοξον nimis genus hominum, qui Christiano quovis homine, nedum Principe, indignam militiam omnem esse præcipiunt, & in mediis Ecclesiæ casibus inermem atque inertem præoptant Principatum, aut qui bella pro Religione suscepta proscindunt, vim Ecclesiæ fieri volunt impunè, Principe interim & Proceribus populisque vota tantùm, & supplicationes, & aniles lacrymas usurpantibus. Imò pium gloriosumque cumpri-
 mis, si pro fidei & Religionis orthodoxæ tu-
 telâ

telâ Princeps pugnet, si huic infensos ma-
 ctet exitio & ultioni. Pro hâc causâ Princi-
 pem stantem mori, pars etiam æternitatis.
 Natos abdomini & defidiæ dixim istos, si
 qui intutis & laborantibus rebus Ecclesiæ
 calcant gemmas & monilia, aut otio & vo-
 luptatibus marcescunt. Non de talium
 turbâ ego; & niveum potiùs ac beatum il-
 lum diem illucescere, avidè, avidè concupi-
 sco, cum me pater Illustrissimus, & Princi-
 pibus Anhaltinis, & materno insuper avo
 meo Iohanne-Casimiro, Principe Palatino
 fortissimo dignam prolem, Constantino-
 politanis mœnibus aut Capitolino Vejovi
 perdomando mittet in arma, magno alicui
 Archistratego concedet, & Hunc tibi, in-
 quiet, filium meum, Reipubl. & Religioni
 progenitum, trado tyronem;

— *Sub te tolerare magistro* (facta

Militiam, & grave Martis opus, tua discere

Assuescat, primis & te miretur ab annis.

Mox suo me iste complexu & Maronianis
 item verbis exceptet:

Disce

*Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem;
Fortunam ex alijs.* — *ἢ σὺν τούτῳ,*
ἢ ἐπὶ τούτῳ.

Sed quoniam in pueritiâ hac ipsâ meâ
puerilitas displicet omnis, & jactantiæ atq;
κενοδοξίας suspicio nobis haud cordi; tum
futurum bellatorem copiarumq; ducto-
rem fortassis haud spernendum, valere ma-
nu expedit plus quàm linguâ, atq; ad eò *Im-*
peratoriam breviloquentiam Cornelius Ta-
citus ponit in laude: finis equidem, &
præsentiam vestram jam non moror, Au-
ditores, uti tamen in voto concludam,
quod solennis symboli vice Prin-
cipi magno fuit, MILI-
TEMUS.

D I X I.

Recitata à

D. FRIDERICO-MAVRICIO,

Principe Anhaltino:

anno ætatis X.



DE OFFICIO

PRINCIPIS,

Oratio secunda.



HAs mihi verò, fas mihi sit,
 Auditores, vestrà omnium
 cum faventiâ, ab fraterno
 genio dissidère. Sine con-
 cordiæ nostræ labe, sine irâ,
 sine felle, fieri istud posse existimate: has li-
 tículas ad detrimentum non extendi ger-
 manitatis, quæ firmioribus nixa subsidiis
 arietes hosce verborum, imbelles, & sine
 ictu, haudquaquam extimescit. Et utique
 dum antiquam nostræ gentis indolem ani-
 madverto, flammæ isti facilè ignosco: cùm
 Germanos bellicâ fortitudine Romanis
 ipsis non cessisse, princeps Romanæ histo-
 riæ

C

riæ

riæ contestetur. *Nemo Germanis*, inquit, *intulit bellum impunè.* Et Seneca, *Romanis pax est usq; ad Germanos.* Nimirum recurrit subindè vis naturæ, atque animos maxime Principum occupat, etiam ephoborum, ut nescio quo æstu perciti, majora viribus suis audere aufint, & supra annos, ante annos, atq; ut Poëtæ veteris verba inflectam;

Ingentes animos angusto in pectore versent. Quoties tamè illud memini ejusdem vatis, *Arma amens capio, nec sat rationis in armis:* & gravissimi scriptoris hoc quoque, *Pacem honestam & probabilem bello quovis esse potiorem:* Quoties item oraculum illud audio, *Plus Romanos consilio, prudentiâ, clementiâ, animi sagacitate, quàm armis profecisse:* Et hoc porrò, *Occidere tam miserum esse, quàm occidi:* Quoties denique sacrum illum *ἄποπιλον* expendo sermonem, publicis malis, jaculis plagisque cælestibus, ac tremendis iræ divinæ testimoniis bella adnumerantem; simul Regis sanctissimi autorita-

tem,

tem, pacem sibi & suis populis, dum vita suppetet, adprecantis: facile in eam sententiam perducor, Auditores, ut politicam, & literatam, & ab armorum strepitu immunem vitæ sortem, statuam longè anteponebam; eruditum quemque Principem, ac disciplinis optimis instructissimum, pulcherrimas illas pacis artes excolentem, votis omnibus semper expetendum: sub quo studia, Academiae, tribunalia, bonæ leges, boni mores vigorem suum obtineant; sub quo illud securus quisque cantillet, DEUS NOBIS HÆC OTIA FECIT. Sed expectatis scilicet, scio, rem ut pluribus in super argumentis, autoritatibus, exemplisve, aut superioris nostriq̃ ævi experimentis confirmem. Præeat igitur autoritas ipsa naturæ, seu (quod idem est) DEI & conditoris omnium rerum sapientissimi: qui animantibus quidem brutis tribuit vim & arma, tauros cornibus, unguibus leones, pede cervos, apros dentibus, ipsas aviculas pen-

narum velocitate pollere constituit; at invalidum & inerme & praesidiis omnibus destitutum finxit genus humanum, ut vel hac ipsa armorum naturalium inopia ad pacem pacisque artes erudiret. Quare cum pedisequum & imitorem Principem esse oporteat Divinitatis & Naturae, sic istum praesesse populis convenit, ut vi armorum, si qua pote est, ipse abstineat, & populos imperio suo subiectos, ab illa bellicae rei cupiditate, & degeneris ingenii feritate avocare contendat. Quid? annon Regnum illud suum superum & caeleste pacata & benigna manu moderatur DEUS omnipotens, & dierum noctiumque vices certas, pulcherrimos ac serenissimos ignes illos, & universum stellarum chorum agit inturbide? fulmina, tonitrus, ventos, nebulas, nimios imbres, in reatu licet assiduo gentis humanae, rarus immittit: ut serenator dici mereat verè, fulminator sine convitio & calumnia dici vix possit? Quin &

pacis.

pacis cognomentum & scientiæ titulos
 ambit ille *θεάνθρωπος* Principum Princeps,
 & *μάκαρος εἰλεωποιὸς* esse pronunciat. Iam-
 que olim in primævi fœderis vaticiniis, sci-
 entiâ & eruditione præstantes viri, qui que
 aliis eandem instillarunt, Soli ipsi & luci-
 dissimis sideribus æquiparati. Porro cum
 pietas & sanctimonia, sicut sermo quoque
 fraternus haud obscure confessus est, vir-
 tutum omnium, etiam *ἠγεμονικῶν*, palmam
 obtineat, sint autem dubio procul pietatis
 literæ duces & magistræ: sequitur, ut paca-
 tum & literatum hoc vitæ genus Principi
 & populis maximè sit necessarium & salu-
 tare. Et quis nescit, quantam sacrorum
 ignorantiam, quantam impietatis supersti-
 tionumque sentinam, & divini cultus mo-
 rumque perniciem, continua bellorum fe-
 ries in universas orbis partes invexerit? Aut
 quis ambigit, per caliginosos hosce anfra-
 ctus, per istos publicæ inscitiae cuniculos,
 scholis, eheu, ob continua bella jacenti-
 bus,

bus, Dictatorem illum ac tyrannum ἐπιτε-
 λόφον irrepsisse? Certè hunc nostro patrumq;
 ævo plus literæ imminuere quàm litui,
 quàm loricae: plus togati viri, quàm sagati:
 plus libellorum assiduitas, quàm bello-
 rum: plus frequentia visq; prælorum, quàm
 præliorum: plus stilorum, inquam, acies
 monstrum perculit, quàm mucronum &
 ficarum: plus piorum & eruditorum vota
 mystarū, certamina, cohortationes, ὁμιλίαι,
 quàm Principum & virorum fortium co-
 hortēs confertissimæ, incendia, populatio-
 nes, arcium oppidorumq; capiones. Et
 sacrosanctam hanc militiam, hanc equi-
 tandi præliandiq; artem optimam, glo-
 riosum hunc ἀγῶνα, scimus autoritas Apo-
 stolica quibus elogiis extollat, quibus præ-
 miis & honoribus καὶ βεβαίως invitet. Sed
 ut magis ad humana atque externa artet se-
 se fermo noster, facilè à studiis militaribus
 ad potiora hæc & mitiora pacis studia re-
 vocabitur Principis animus; si cogitaverit,
 stare

stare continuo usu armorum non posse
Imperia & Principatus, esse remedia illa
plena periculi, adhibenda rarò atque con-
tanter: quæ velut pharmaca sumta fre-
quentius, Reipub. corpus deterant ac dent
exitio: Ad rectam autem & solennem ge-
neris humani gubernationem, ad jugem &
perpetuam publicæ salutis publiciq; boni
tutelam, magis illas animi dotes desiderari,
quæ studiis literarum parantur aut confir-
mantur: ideoque hæc præ illis haud ha-
benda pretio in grandi. Nam & pruden-
tiam literæ docent, quæ in gravissimis con-
sultationibus elucet; & quâ Curius, Fabius,
Themistocles, alii, Reip. utiliores extiterunt,
quàm si multis fortissimarum legionum
millibus præfuissent fortes ipsi. Adde quòd
magnitudo isthæc animi non in castris tan-
tùm, & circa arma, sed in foro, sed in curiâ,
& civilium æstu negotiorum & turbarum,
atque in lectulo etiam exhibetur. Nec di-
cenda illa segnities & ignavia, sed virtutis
eximiae

eximia loco habenda, quæ Rempub. arte, consilio, sine sanguine civium, sine noxâ, præstat incolumem. Hanc ob causam, summos quosque Principes constat ex eruditorum & sapientum id genus virorum institutione, Philosophorum, Iureconsultorum, ad Reip. bene administrandæ scientiam pervenisse, ex eo Patres patriæ, & delicias generis humani, & λαῶν verè ποιμνίας appellitatos? dici ut cœperint existimariq; etiam divi, postquam vivi esse desierunt. Ita Aristotelem Alexander Rex Macedonum adfessorem sibi habuit individuum, Xenophontem Cyrus, Heraclitum Darius, Quintilianum Trajanus, & Plinium, & Plutarchum, Severus Ulpianum, & præstantes alios Iureconsultos, à quibus peritiam juris civilis etiam plurimam hausit ipse. Adrianus quoque Celsum, Julianum, Priscum, & alios ejus ævi sermones audivit, non juris modò, sed facundiæ & politicæ peritissimos disciplinæ. Et Augustus ante istos

Asini-

Asinium Pollionem, virum literatissimum,
 & cum primis historiarum & veteris ævi
 callentem, ac Sallustium etiam Cæsar, tum
 amicitiam summam coluit, tum consilium
 auctoritatemque ejus in gravissimis nego-
 tiis sibi adscivit. Agere autem, Antonino Im-
 peratori quantum decus, quantum amo-
 rem, insignis illa comparavit eruditio, ob
 quam Philosophus honoris causam cogno-
 minatus est? Quantum item Ptolemæo
 Philadelpho, Ægyptiorum Regi potentis-
 simo, cujus etiam bibliothecis receptacula
 quævis armorum & machinarum postpo-
 suit antiquitas? Mitto Solonem, Draco-
 nem, Lycurgum, aliosque nomothetas &
 Philosophos, civitatumque rectores, qui
 temporibus antiquissimis, citra omnem
 vim armorum, propriam sapientiam & opti-
 marum legum freti subsidio, Rempubli-
 cam habere florentem. Mitto Marcum
 Tullium Consulem, cujus vigilantiam, faga-
 citati, eloquentiam, salutem suam plus quam

D

armis

armis & legionibus suis debuere Quirites. Mitto & Alexandri, de quo antè, ex propriâ quoque eruditione decus eximium: cujus Principis olim etiam Epistolæ manibus doctorum virorum terebantur, quarum apud Plutarchum, Athenæum, Hesychium, mentio crebra: sicuti & Gothorum Regum literas sequens ætas admirata est, terfas, elegantes, literatas. Mitto denique summæ exempla autoritatis, Mosen, Israëlitarum ductorem doctoremque variis disciplinis instructissimum. Et Davidem, parentem illum καὶ εἰκόνα Regis æterni: cujus Principis eruditionem & solertiam literariam innumeri numeri illi, suavitate pariter & sanctimoniâ venerabiles, testantur. Et Solomonem, qui armorum, quamdiu imperavit, propemodum usu nullo, γνωμῶν καὶ θεσιῶν tot μυριάδας, & volumina super arcana vi naturæ pleraque conscripsit, ac Sapientis etiam à CHRISTO meruit cognomen. Ac ne vetera modò recenseam & ex-

& externa, quis non Georgii illius Anhaltini Ascaniiq; Principis, Patruī magni nostri, memoriam veneratur a nimitus, qui difficillimis Reipub. temporibus, & Principis prudentissimi, & sanctissimi doctissimiq; Ecclesiastæ partes obiit, populis suis tum humana, tum cælestia & vera bona subministravit: Germaniam consulendo, monendo, cohortando servavit magis, quàm Dynastæ alii & Principes belligerando. Procul itaque, procul barbaram & exitialem eorū opinionem, qui hæc studia & meliorem omnem literaturā, velut magnitudine animi vacuam, putant Principes non decere, aut inferiora esse hæc talia maiestate Principali. Imò, ô boni, imperito Principe turpius nihil, nihil injustius, infelicius, esse contendo, aut certè qui consilio non regatur peritorum. Quis ei hominī navim tradat, tradendam ipsam tempestatibus, qui nec maria unquam sit expertus, nec remigum manu utatur, nedum ut didicerit navigare scisso

D 2

velo,

velo, & naufragas tabulas ad cursum suum aptare? Rectâ igitur, rectâ inquam & literariâ institutione hi formentur, quos gubernacula manent publicæ navis: qui ita nati sunt, ut prospera eorum & aduersa, vitia eorum virtutesque ad Rempubl. pertineant: qui desipere sine gentium damno & calamitate non possunt: quos denique Solis instar esse constat, quem si fortè nox occupat & caligo, tenebrascere & collabi necessum est orbem terræ. Quamobrem alii arma & exercitus sibi habent, flammâ, ferro, exterum sanguinem civilemque confundant, virtutum caput omnium in bellicâ & inquietâ istâ fortitudine constituent, cæli terrarumque compaginem, Βεγγελοιγοι, μιαιφονοι, τειχεσιπληται isti involvant:

Me verò dulces capiant ante omnia Musa.

Mihi ab studiis veræ solidæque virtutis & doctrinæ spes opesque. Mihi justitiâ, æquitate, sapientiâ, consiliis politicis, eloquentiâ, morumque sanctitate, de humano genere

nerere.

nerē bene mereri decretum est. Per hos tra-
mites plus mihi obtinget *αὐταρχείας*, plus et-
iam (si fas dicere) publici amoris, & gloriæ,
& præmiorum, quàm bellatori tibi, frater
optime: etsi ingentem hostium multitu-
dinem arma tua dedant ultioni, etsi victo-
rem triumphaliq̄ue curru vectum dies nul-
la non suspiciat: etsi denique, ut in verbis
Flacci finiam,

— *Libyam remotis*

*Gadibus jungas, & uterq; Pænus
Serviat uni.*

D I X I.

Recitata à

D. CHRISTIANO, Principe

Anhaltino: anno

ætatis X.

D 3

DE



DE OFFICIO

PRINCIPIS,

Oratio tertia.



DE Officio dicere Principum, verè Principum officium est. Sortem egreditur ea materies privatorum. Res disceptent isti privatas, quia talibus modò nascuntur, innutriuntur, occupantur. Augusta ista atque sublimia, ab Augustissimo illo discimus nos, cujus soboles, cujus typi & simulacra nuncupamur. Majore nos ille flammâ succendit, perspicaciore numine implet, & præ nobis alii ferè mera caligo.

— — *Quod medicorum est*

Promittant medici, tractent fabrilia fabri,
inquit

inquit ille. Eodem modo, quod est Principum, Principes tractent, inquam ego. Et quamvis Philosophorum quoque scholas haud spernam, qui principatus bene administrandi praecepta quaedam tradere ausi: tamen & illud ne ipsi quidem fronte incolumi inficientur, ea se se ab ipsis Principum praeceptionibus, commereio, experimentis didicisse. Sacros Principes non attingo, Davidem, Ezechiam, Iosiam, & sapientiae omnis *ἑσπερίων* Solomonem: quorum voces atque exempla plus frugis in se habent, quam Graecorum omnium Philosophorum, Romanorum, Aegyptiorum monitiones ac *ὑποδείξεις*. Dicta Augusti atque consilia habuere caeteri deinde Principes pro praeceptis: & ii demum bene & feliciter praefuisse imperio existimati, qui ad ipsius imitationem normamque praefuere. Cum igitur propria isthaec Principum tractatio sit, verè hic campus in quo Principum ingenia sese exercent, ne nos quidem in aliam dicendi

dicendi segetem evagemur: sed universam
 controversiam, de quâ impræsentiarum
 disceptatum est, paucis verbis expediamus.
 Nam & quamvis mentes Principum, etiam
 agnatorum, opinionibus & sententiis circa
 hæc talia discrepare, res sine maculâ & cri-
 mine esse videatur: quoniam tamen cæte-
 ra inter animi bona familiaris domui no-
 stræ ὀμόνοια est, nec temerè dictum priscis,
 etiam vultu lædi pietatem, idcirco partes
 nostras ac iudicium conciliandæ quæstio-
 ni gravissimæ & magnis utrinque discussæ
 rationibus interponere, haud postremam
 principalis officii nostri partem esse existi-
 mamus. Et eam mihi tum universi cœtus
 expectatio, tum & aliqua ætatis præroga-
 tiva facilè tribuit potestatem.

Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella.

Sit nostrum inter vos tantas componere lites.

Et lauro tu dignus, & hic.

*Nusquam abero, & tutos patrio vos li-
 mite sistam.*

Pro-

Pronum id factu, utramq; sententiam mixturâ quâdam καὶ σύνθεσιν conjungentibus, & Marti Palladem, Martem Palladi sociantibus vinclo nuptiarum: ut Poëtæ quoq; summo succlamemus, γλαυκῶπιον illam θεὸν non sine armis depingenti. Ita hic actus in connubiales festivitates, & sacra thalami, paranymphis & mystagogis nobis defuturus.

Hymen ô Hymenæe, Hymen, ades ô Hymenæe.
 Primum hæc causâ isthæc jungenda contendendo: quoniam, uti pacata modò & quasi togata illa sapientia homini ad salutem hominum genito parum confert, nisi & hæc asperior ac militaris accedat: sic vicissim nemo fortiter feliciterque in hostem pugnare possit, qui non sese priùs ipsum expugnaverit, hoc est, animum pravis affectibus suum exemerit, flammisque extinxerit voluptatis, luxum ac libidinem temperantiæ frenis coercere & rationis assuêrit; simul etiam casus humanos & ipsam ma-

E
 lorum

lorum ultimam mortem aspernari: quæ nos, aliaque humani animi præfidia & firmamenta, ex illo literarum penuario haud dubiè mutuamur. Tum prudentiam, quæ in bellicis consultationibus maximè desideratur, eadem literæ docent, quâ Ulysses apud Homerum sese victoriâ potitum esse gloriatur: quam Thucydides in Xerxe mirè commendat: quâ Themistocles, Fabius, alii, potentissimorum hostium abiêre victores. Longum fuerit, si aut viros eruditione celebres recensere instituerò, qui bellicis laudibus excelluere; aut fortissimos Imperatores, qui gloriâ eruditionis: si aut Principes, qui Philosophiâ; aut Philosophos, qui Imperio usi feliciter & Principatu. Quid? eloquentiâ & arte dicendi, quam literarum item studia insinuant, bellatori Principi quantâ opus! quâ aut milites præliaturi adversum metum confirmantur, aut in fide & obsequio retineantur, aut hostes etiam ipsi sine sanguine ullo

ullo & pulvere ad pacis conditiones & obsequii gloriam perducantur: qualis illa ingenua est Pyrrhi ducis præstantissimi confessio, *plures ab sese, aut ab Cyneâ legato suo, oratione subactas, quam vi & armis urbes fuisse captas.* Et ob eam rem Philippus Macedo dicere solitus, *Oratorem Atheniensium Demosthenem plus sibi metuendum videri, quam triremes eorum, & Mavortiam omnem molem.* Porro item Geometricæ & Mathematicarum scientiarum adminiculis indigere bellicosum Principem nemo negaverit: veluti si de castris collocandis & disponendis agatur, de struendâ acie & militibus ordinandis, de exploratione & oppugnatione arcium atq; oppidorum; aut si typi, ideæ, schemata & ἱερογραφαί fabricarū constituendæ sint, quæq; alia hujus notæ, non nisi studio, & arte, & magisterio parantur. Tum & notitiam historiarum Principi esse in promptu salutare est, ut meminerit, quidnam aliū retrò Principes ductorésve in



periculis aut negotiis assimilibus & quo eventu factitarint, quas inferendi aut suscipiendi belli justas causas esse crediderint, ducum militumve delectum quem haberint, rem frumentariam & commeatum ut paraverint, quam ineundæ pacis viam sint sequuti, quas conditiones admiserint aut quas secus, aut quam vitæ tenuerint disciplinam. Atque adeo Principum Romanorum adolescentiam & penè pueritiam præceptis ad hæc talia pertinentibus institui consuevisse, promptum esset ostendere. Hæc cum ita sint, cum & armis, inquam, & literis quærendam Principi gloriam esse appareat: equidem tamen in sententiam illius vergo magis, qui Principi homini exemplar cælestis Principis ponit ob oculos, non fulmine utique semper, aut nimio imbri, aut vi ventorum, & cæteris naturæ malis concutientis genus humanum; sed posteaquam *μακροθυμίαν* ejus & bonitatem crimina hominum demum expugnant.

gnant. Ut ergo serenior ferè conspicitur
 cæli facies, & magnam anni partem tran-
 quillitas aëris occupat & pulchritudo: ita
 Principem pace magis & pacis artibus sua-
 ferim delectari, imò nec bellicam vim in-
 ferre aut referre, nisi coactum & reluctan-
 tem, quando remediis mitioribus locus
 nullus invenitur. Ratio id primùm pie-
 tasque deposcit, quoniam sequi DEUM &
 æmulari tam debet nemo, quàm qui ab eo
 apicem obtinet dignitatum, & qui judicat
 vice sacrâ. Tum deposcit miseratio quoq;
 communis, siquidem iram cælestem arma
 testantur, cædes, rapinas, incendia, & publi-
 cum velut latrocinium inferunt orbi terra-
 rum: humanam societatem, quâ & DEUS,
 & per hoc bonus Princeps summè capitur,
 contemerant, evertuntque: imò & natu-
 ram utique ipsam, quæ obesse & insidiari
 homini hominem interdicit; quòd, ut ait
 Papinianus, *juvari potiùs hominem ab ho-
 mine, cuiusq; hominis intersit.* Quamobrem

E 3

in sa-



in sacris literis fortissimi ac sapientissimi licet Reges, calamitatem quamq; aliam præoptaverunt, & ævum bellicis turbis liberum pro cælestis benevolentia tesserâ existimârunt. Accedat autem telum præpotens Necessitatis, quo amantissimi quique armorum ad pacis tandem studium ferum compelluntur, tametsi plerumque ferum nimis: siquidem bella medelæ pharmacoque aptè æquiperari, ipsa rerum experimenta convincunt: quod si sæpius æger sumerit, eoque velut cibo uti decreverit, atteri & dejici vires corporis, ipsumq; post brevem moram tradi exitio necessum est. Ac sanè scimus, Reges, Principes, populos, qui assiduis bellis manus & animos addixerunt, haud diu imperium obtinuisse; quibus moris finitimas remotasque gentes bello laceffere, sævire, rapere, & quod feræ quædam solent, latissimè nocere. Quippe tandem hos metuere cœperunt à quibus metuebantur: fugari ab eis & excindi, quibus

bus fugam & excidium apparabant. Ex-
emplo sunt, ne vetustiora recenseam, Ge-
pidæ, Gothi, Vandali, Hunni, Bagaudæ:
qui, cum quietum & literatum vitæ genus,
infirmi & tenuis animi esse crederent, &
continuis sese bellis & magnarum civita-
tum obsidionibus irretirent, properè ad ul-
timam sui perniciem concesserunt. Con-
trà autem, mansisse diu ac floruisse constat
eos, qui clementem & literatam hanc mi-
litiam diligentius coluere, & per quasdam
temporum vices, & cum modo, & adver-
sus paucissimos, aut non nisi tentatâ infe-
liciter pace, bella habuerunt: cui rei Ro-
mana gens præit exemplo. Cum igitur pa-
cis & literarum usus amplior, frequentior,
tutior, innocentior, naturæ necessitati que
propior esse amet; armorum rarior utique,
tristior, periculofior, pietati que ipsi infen-
sior & naturæ: ob eas causas conjungi ac
velut maritari rem utramque ita volumus,
uti tamen literatæ pacis usus ac dignitas

non

ante-

antecellere existimetur. Pulchrè Alphonsus, Siciliae Rex laudatissimus, qui sciscitanti cuidam, utri rei, librisne an armis, plus deberi à se profiteretur, *Ex libris*, inquit, *Et arma Et armorum jura didici*. Breviter, ecquid Leges, Religionem, libertatem ac disciplinam tuebitur armis rectè, qui vim earum rerum, & causas, & necessitatem ignorat? quæ omnia ex fontibus hauriuntur literarum. Ubi sunt isti, qui per hoc ævi, ut putà seculo, nisi si caligare ultrò volumus, erudito, aut notitiam disciplinarum in Principe non desiderant, aut, quod propius prodigio est, etiam opprobriis & criminationibus insectantur? Sed hunc articulum, quoniam tua, Christiane Princeps, ubertim dissertavit oratio, & usum necessitatemque multiplicem Principalis eruditionis comprobavit, pluribus verbis exequi superse-
deo. Illud in universâ hâc controversiâ monemus non inviti, modum hâc ipsâ in parte aliquem Principi esse tenendum: ut

non

non tam scire multa contendat quàm optima & maximè fructuosa, eaquè singulari iudicio percipiat & delectu, mente fideliter custodienda. Cùm enim ex sapientum placitis πολυμάθεια & confusa quædam ac redundans variarum rerum ac disciplinarum cognitio privatis ipsis hominibus plerumque non conducatur, sufficiatquè in brevitate tantâ vitæ utilibus tantùm & necessariis immorari: multò magis servandi Principi studiorum iidem fines, Principi, inquam, gravissimis aliis curis obnoxio, cuiquè præcipuè pro Reip. salute excubandum est,

ὅτι τόσσοι λαοὶ καὶ κήδεα τόσσα μέμηλε.

Inde Neroni nimia poëticae musicaeque artis affectatio data probro. Inde Caligulae nihil ad laudem publicumve amorem profuit, quòd (quemadmodum testis est Suidas) de arte dicendi libros scripsit. Inde Adrianus, Aurelius, Iulianus Imperatores,

F

nis



nis gloriam captant, ac dies noctesq; litera-
 rio otio & Musarum deliciis impendunt,
 pro literatoribus & Græculis, & suarum
 ferè partium desertoribus existimati, ac
 σεμνότητα καὶ μεγαλοσύνητα τ' ἀρχῆς vehemen-
 ter imminuere. Quod & legimus Michaëli
 Byzantino Imperatori contigisse, dum assi-
 duus Michaëlis Pselli auditor, credit aliis
 summam rerum. Teneat igitur potiùs Prin-
 ceps μέγρον illud, quod Cæsari, quod Augu-
 sto, quod Trajano, atq; eruditis quibusdam
 Gothorum regibus fuit in more, dum sua
 interim eruditioni & togatorum virorum
 laboribus præmia ponat semper. Unum
 tamen est, unum, ô boni, in quo nullum li-
 terariis artibus modum, nullum bellicis à
 Principe postulamus. Illum, illū iste ἀντίθεον,
 illum ἕν τ' ἀπολείας, perpetuum illum Chri-
 sti & piorum & omnis recti hostem petat
 ἀσπόνδως, illum armis æquè & stylo, illum
 Martis æquè artibus & Minervæ, sine mo-
 do, sine fine, sine ullâ temporum intercape-
 dine,

dine, propriâ atque alienâ tum fortitudine
 tum eruditione fretus infestet. Cedò, qui-
 bus magis itineribus ad tantum potentiaë
 culmen evasit ille *μυσάγχις*, nisi desidia pari-
 ter imperitiâque dominantium? qui dum
 bellis aut omnibus abstinent, aut aliis oc-
 cupantur, aut literas, linguas, artes, & peni-
 tiorem sacrorum scientiam nihil ad se per-
 tinere, deliramentis creduli Monachorum,
 arbitrantur, non modò obniti, quod de-
 buêre cum primis, huic prodigio contem-
 pserunt; sed prò dolor, & prò pudor, suâ
 illud & sanctionum suarum prærogativâ
 subsidioq; firmârunt: simul proprio ipsi ex-
 emplo populos suos ad belluæ veneratio-
 nem impulêre. Eaq; tandem, vecordiam in-
 scitiamq; istam ulciscente Numine, suam
 Regibus, Imperatoribus ac Dynastis pote-
 statem ivit ereptum. Emendet itaque ma-
 jorum factum utrumq; magnus Princeps,
 situmq; in eo sacrosanctum munus suum
 statuatur vel imprimis, ut profanum illum



Capitolii sefforem exturbet, impurissimi
 scorti obscæna populis exhibilanda denu-
 det, & Israëliticorum quorundam Regum
 æmulatione permotus, divinam ipsam
 ædem inquinamentis omnibus, omni
 ἀσεβείᾳ καὶ ἐθελοθρησκείᾳ præstet immunem.
 Ea fini utramque militiam infractus am-
 plectatur; & meminerit, debere Principem
 tali in causâ

Χεῖρας τ' αἰχμητικῶ ἔμδρα καὶ ἐπίφρονα βαλλί,
 Et pariter ferrum & doctas accingier artes.

D I X I.

Recitata à

D. JOHANNES CASIMIRO,

Principe Anhaltino: anno

ætatis XIII.

ILLU-



ILLVSTRISSIMIS PRINCIPI-

bus Anhaltinis, quorum heic extant Orationes,

Εγκώμιον.

O decus, ô soboles magnorū certa Parentum, Imò arcet fortuna domus communia damna,
 Et superi verè Regis alumna trias. Spesq; aliis Arctos dividit alma suas.
 Usque ad eòne pios se vivere in secula Vates Perge trias : quæ cuncta oculi vidère priorum,
 Semper, & in querulos ducere verba modos? Penè putem coeptis inferiora tuis.
 Digna auro gemmisq; oritur caelestibus etas,
 Nostra neq; exemplis Vrbs tumet una. tribus.

IAC. LECTIUS.



AD ILLVSTRISSIMOS PRIN-
CIPES ANHALTINOS.

Progenies antiqua Ducum, qui sortia Gentis Pergite sacratos monitus Pietatis amare
 Rexere sceptrâ Saxonum : Et pura iussa Calitum :
 Et quorum iustis bellax Germania sese Pergite virtutem secreto tramite turbis,
 Subiecit ultrò nutibus, Labore & impigro sequi :
 Ut varios charis arceret finibus hostes, Et dulci eloquio, & dictis sapientibus æquè
 Facesq; tutas carperet : Decora facta iungite.
 Maçti animis, proavum & fortes incedite semper Quid non efficiet domibus nutrita sub altis,
 Monstrata per vestigia. Et docta Principum indoles,
 Maçti animis Iuvenes, etas dum florida vernat, Inclyta quos generis commendant stemmata
 Bonarum & artium capax, Verusq; Numinis timor? (Cæsi.)
 I. I. G.



ANTONII FAYI VOTVM, IN GRA-
tiam Illustrissimorum Principum, CASIMIRI, CHRIS-
TIANI, FRIDERICI, Anhaltinorum.


A Scaniæ gentis (quâ sese iactat alumnâ Gloria vestrorum, iuvenes, mansura parentum,
 Teutonis ora) decus spesq; futura brevi: Aequantes morum nobilitate genus :
 F 3. Crescite

Crescite florentes annis, virtutibus, armis,
Doctrinis, animis & pietate pares.
Crescite more bonæ stirpis, quæ floret abundè,
Mox fructu variè nobilitanda suo.
Crescite more bonæ stirpis, quæ frondis opaca
Tegmine protenso protegit & reficit.
Hæc verò quis non audet spondere, virorem
Qui tantum vestro surgere vere videt?

Et qui miratur, (quanquam sit messis in herba)
Quas iam fundit opes tam bene cultus ager?
Sed quia vestra negant anni mihi cernere facta,
Sufficiat voti prodere signa mei.
Sic iuvenes florete, viri virtute virete,
Ut sanctis olim sitis asyla senes.

Faxit Deus Opt. Max. per I.C.D.N.

A M E N.



Apostrophe Encomiastica

A D

Illustrissimos Principes Anhaltinos

Genevæ Allobrogum

cum admiratione & applausu omnium

publicè declamitantes.

Ad Dn. IOHANNEM CASIMIRUM, &c.

I An-Casimire annis vix pubescentibus, in Te
Quid stupet illustris Geneva? iudicium.

Hujus Symbolum:

Constanter & sincerè.

Nil, si sit circum pectus constantia, durum est:

Si sincerus amor, fidere res levis est.

Ad Dn. CHRISTIANUM, &c.

Christiani ingenium, eloquium puerilibus annis

Admirata probat docta palestra virum.

Hujus Symbolum:

Astra petit Virtus.

Ardua

*Ardua caelorum virtus petit incluta, Virtus
Sidera sublimi vertice celsa ferit.*

Ad Dn. FRIDRIC. MAURICIUM, &c.

V Ah! Federico Mauricio gens extera ob ignes
Heroes, puero plaudit; ad astra vehit.

Hujus Symbolum:

Arte & Marte.

*Marte, vel arte potens bonus est: ad utrumq; parato
Omnia censorum tollere puncta datur!*

Ad Nobilissimum Virum Dn. PETRUM
Asebotendorff, dictorum Principum
Ephorum.

V Ir pietate gravis, vir stemmate Nobilis, arte
Hec tua laus inter non morietur annus.

Τὸ Ἰπτάλλον μέγ@, studii subjectissimi indi-
cium, M. Heinrichi Kitschii &c. nundinis Li-
psensibus deproperatum, anno exordiali,
cujus Chronologicum

ConserVa Me DEVs.

F I N I S.



94 III 270

LIPSIÆ,



MICHAEL LANTZENBER-
GER EXCUDEBAT,
ANNO CHRISTI

M. DC. X.

V017

